

www.e-rara.ch

Iatrosophiæ Miscellanea

Sitoni, Giovanni Battista

[Einsiedeln], Anno Christi M. DC. LXIX

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-94732>

Tractatus XIV. Praestantissimo Artium medicinae Doctori collegiato, D. Hectori Bimio.
S.P.D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

TRACTATUS XIV.

Præstantissimo Artium Medicinæ
 Doctori Collegiato,
 D. HECTORI BIMIO.

S. P. D.

*Depurgantium medicamentorum, & sudorifico-
 rum alexipharmacorum miscellâ in Luis Gallica
 curatione.*

Scientijs rerum humanarum moles, ut orbium cælestium motibus
 sublunarium omnium congeries regi, & conservari, inficias non eo,
 perpetuæ etiam veritatis illas esse, utpote subjectis innixas naturam,
 & unitatem propriam non immutantibus fateor, velut hi quoque immu-
 tabiles ob primi motoris stabilem unitatem, propriæque naturæ non vari-
 abilem dispositionem. Nihilominus dum tot scientiarum, quibus tam
 variæ intellectus humanus illustratur, utendi modum perpendo, maxi-
 mum mihi suboritur dubium, num utilitatis, an damni potius causa sit
 hæc scientiarum in animâ nostrâ ex Aristotele depictio, ex Platone autem
 in lucem revocatio.

*Scientijs res
 humana re-
 guntur.*

*Scientia
 sunt verita-
 tis perpetua.
 Scientia
 an utilita-
 ris, vel dam-
 ni sunt cau-
 sa.*

Cum enim omnes circa animi, vel ab eo dependentium, aut cor-
 poris, vel ab eo dependentium esse, & bene esse versentur, quantum ex
 se est non nisi bonum utile, & honestum ipsius animi, vel corporis re-
 spiciunt primò, principaliter, & semper, cum una, & invariables ex se
 sint: quia tamen in diversis diversimodè diversorum hominum ingenijs
 imprimuntur, & retinentur pro variâ uniuscujusque dispositione: hinc
 est, quòd in eadem scientiâ, & de eadem re oppositæ omnino, imò con-
 trariæ efformantur, agitantur, & defenduntur propositiones, quarum
 cum non nisi altera vera esse queat, ex consequenti talium scientificorum
 alter opinatur, & operatur id, quod veritati adversum est. Tolerabilis
 est talis error in scientijs aliquibus, uti Jurisprudentiâ, in quâ datur appel-
 latio & facti revisio: sed in Medicinâ, in quâ de privatione ad habitum re-

*Scientia a-
 nimis, vel
 corporis bo-
 num, utile,
 & honestum
 respiciunt.*

*In scientijs
 opinionum
 Varietas dâ-
 ni multæ
 causa est.*

*Magis in Me-
dicinâ. Me-
dicinâ Vera
est, una, im-
mutabilis
& perpe-
tua.*

*Opinionum
diversitas,
& damnum
indè conse-
quens quo-
modo tolli
possint.*

*Auctores
miscellam
alexiphar-
macorum
& purgan-
tium in mor-
bo Gallico
volentes.*

gressus, & animâ ab inferis ad superos revocatio negatur, perniciosissimus est hercle, atque incorrigibilis omnino. Damnanda tamen ideò non est Medicina, quæ vera est in se una, immutabilis, & perpetua: sed detestanda Medicorum quorundam delidia, & ignorantia, qui dogmatum Medicinalium superficiem tantum veritatis profunditate neglecta intuentur. Unde fit dissidium inter eos, contradictoriarumque tutela opinionum cum necessariâ agrotantium pernicie ab alterutra ipsorum sectâ Quid superest ergo? Dicendum ne erit, cum diversi oppositam tuentur scientifici opinionem, quòd altera ipsorum à recto aberret tramite cohors? Absit. Datur contrariarum opinionum concordantia, & contradicentium scientificorum compositio, propositio videlicet, sententiæque cujusvis distinctio in unaquaque scientiâ, ita ut hac solâ stante reum, quibus innititur, formali varietate difficultas omnis, oppositio, & contradictio tolli possit. Verum scientifici ipsius partes sunt, ne in supradicta incidat incommoda, dum scientiam ad usum revocat, propriâ uti sententiâ non generaliter, & absolute, sed specificè, & præcisè in tali solùm casu, in quo etiam solùm & ipsa verificatur. Hic opus: hic labor est. Testantur apprimè, quæ dicta sunt, sexcenta adduci quæ possent contradicentium opinionum exempla ex probatissimis quoque decerpta auctoribus, sed hoc pro millibus unum sufficiat, quod in luis Gallicæ curatione contingere videmus, dum miscet alij cum hujus morbi alexipharmacis purgantia medicamenta sub varijs utriusque formulis, nempe decocti, syrupi, electuarij, pulveris & similia. Respuunt verò miscellam hanc, arectis contortisque naribus omninò alijs, & harum utramque medicamentorum classem concedunt quidem, sed seorsum. Primæ cohortis est Petrus Andræas Mathiolus *opusc. de morbo gallico, item com. in lib. 1. Discor. cap. 3.* Aloysius Lobera *tract. de morb. gall. cap. 7. & 8. & lib. morb. vulgo Cortigiani.* Alphonfus Ferrus *lib. 1. cap. 1. & 2. lib. de morb. gall.* Nicolaus Machellus *tract. de morb. gall.* Antonius Musa Brasavolus *lib. de morb. gall.* Joseph Quercetaus *in suâ Dogmaticorum pharmacopœâ restituta. cap. 8. 9. 10.* Benedictus Rinius *tract. de morb. gall.* Michael Io. Pascalis *tract. de morb. gall.* Marcus Antonius Zimara *in Antro Magico Medico, cap. de lue. Venerâ.* Bartholomæus Maggius *cap. 5. Consil. in morbum gallicum.* Alexander Traianus Petronius *lib. 3. de morb. gall. cap. 2.* Antonius Chama thæus *lib. de morb. gall. cap. 1. & 3.* Augerius Ferrerius *cap. 15. & 22. lib. de Pudend. agrâ.* Guilhelmus Rondeletius *lib. de morb. gall. cap. de morbo inveterato.* Antonius Maria Venuustus *cons. de lue gallicâ pro Assessore Vallis Anania.* Julius Cæsar Claudinus *in Append. ad ingressum Medicæ. sect. 3.* Ludovicus Septalius *lib. 7. cant. Medicin. 204. Nicolaus Massa Epist. Medic. 30. item lib. de morb. gall. tract. 3. cap. 9. & 11.*

Hie-

Hieronymus Fracastorius lib. 3. de morb. contag. cap. 10. Alexander Massaria lib. de morb. gall. Gabriel Fallopius tract. de morb. gall. cap. 47. Eustach. Rudius lib. 5. de morb. occult. & venen. cap. 17. & 18. & alij, quorum aliqui miscellam hanc alexipharmacorum cum purgantibus in morbo gallico absolute recipiunt, & laudant, aliqui verò præcisè cum nonnullis scilicet animadversionibus, & conditionibus, uti videre licet citatis ipsismet locis.

Alterius autem cohortis est Ulricus de Hutten lib. de morb. gallico passim, sed præcipuè capite 10. Antonius Gallus tract. de Ligno Sancto non permittendo. Ioan. Baptista Montanus tract. de morb. gall. Benedictus Victorius Faventinus lib. de morb. gall. cap. 7. & 8. Andreas Vesalius epist. de Radice China. Antonius Francanzanus lib. de morb. gall. Petrus Hofcardus tract. de morb. Gallico cap. 5. Franciscus Frisumelica tract. de morb. gall. Prosper Borgarutius Meth. de morb. gall. cap. 14. Alexander Troianus Petronius lib. 5. de morb. gall. cap. 5. & 6. Hieronymus Mercurialis tract. de morb. gallico. cap. 5. Sylvaticus controversiæ medicin. 73. & alij, qui compositionem hanc penitus respuunt, & reprobant, ut ex citatis apud ipsos locis manifestè liquet. Circa quorum, & insignium quidem Auctorum multiformem opinionem, ommissis per ipsos adductis hinc inde rationibus quàm plurimis, eorumque tum confirmationibus, tum confutationibus. atque supposito, quòd lignum sanctum, falsa parilla, China, & si quid aliud simile reperiri fortè potest, morbi gallici alexipharmacum sit, sive hoc à totâ substantiâ, sive proprietate occulta, aut manifesta, sive aliter fiat, quia de his omnibus nunc inquirere, non est propositum, dicimus, quòd sic requirementibus indicationibus cum ratione elicitis in morbi gallici curatione, vel ad circumferentiam humores noxios ducere, atque per cutem ope sudoris evacuare, simulque, & semel talem intemperiem tali alexipharmaco corrigere intendimus; vel humorum malignitiam compescere, seu materiam (ut ita loquat) concoquere, ipsamque per centrum, & secessum evacuare, atque intemperiem unâ vice proprio alexipharmaco emendare nitimur. Si primum intendamus, dicimus, quòd alexipharmaca sudorifica supradicta omnem purgantis medicamentum miscellam respuunt rationibus, quas passim videre licet apud posterioris classi auctores: dicat, quòdlibet, quisquis asserere possit medicamentum purgans admixtum humores colliquando, & fundendo materiam disponere, mobilemque, & fluxilem reddere, ut sic facilius sudorificorum vi ad cutem trahatur: quàm per nos auxilium tale non admittitur, cum assumpti pharmaci substantia epar, venisque omnes, & universum corporis ambitum non inret, humoresque dissolvat, & secum ducat: sed se eundem quàm plurimos sympathiæ virtute humores elective ad se trahat,

Auctores dicitam mixtionem respuentes.

Quæstio resolutio negatiua.

Purgantia, & sudorifica commiscere non licet juxta primam intentionem.

Medicamentum purgans

secundum aliquos per sympathiam trahit, & evacuat: secundum alios per antipathiam. Purgantia, & sudorifica juxta secundum intentionem inutile est miscere.

Quando nō liceat aliqualiter hac miscere.

Rerum natura intimis scrutantur.

ita ut ipsum & illi sic aggregati naturæ impulsæ, & irritatæ nixu per secessum expellantur: secundum aliquos verò antipathia vi humores electivè fugat, & propulset, ita ut naturæ concitatæ impetu & illi, & illud ad extra ducantur. Qualitercumque enim hoc fiat (præsens enim loci non est, disputare, & decernere) eadem emanat consequentia, talis nempe auxilij ex pharmaci cum sudorifico admixtione non consequentis. Quod si ad alterum divertatur intentio, concedi utique potest per primæ classis auctores rationibus adductis miscella hæc: attamen extam brevi alexipharmaci, quod unà cum purgante statim exit, in corpore morâ non videmus, quânam possit illud ratione alexipharmacam vim suam imprimere, materiam coquere, & intemperiem corrigere. Nec valet, quod dici fortè potest, etiam post horam unam, vel alteram cum sudore alexipharmacum idem exire, quia talis virtus unà cum substantiâ, cui adhæret, in ventriculo prius recepta per meseraicas in epatis substantiam, & ab ipso per venas omnes, & membrorum spatia, totamque corporis molem transeat & disseminetur, ita quòd facile vim in ipsis imprimere, intemperiemque corrigere valeat: hoc enim per secessum abiens cum purgante nequaquam efficere potest, nisi fortè in ventriculo, & alijs, quæ tangit intrinsecus membris, ut adductæ à Sylvatico rationes ostendunt. Satius ergo mihi videretur, quoties in notabili, vel æquali portione illis uti volumus, ea sub quâcumque formulâ seorsum adhibere, ut ipsorum utrumque separatim vires suas exercere, propriasque imprimere qualitates possit, periculumque evitetur, ne se invicem refrangant, & impediant: ex eo namque, quòd oppositam intentat utrumque actionem diversis præditum viribus, nulla fiet actio. At si in exiguâ, & dispar. illa commiscere portione velimus, si per cutem evacuare intendamus, nullam vel minimam purgantis pharmaci portionem sudorifico admiscendam ducimus: sin autem per secessum ducere, consilium sit, in exili tunc quantitate purgantibus alexipharmaca etiam si sudorifica commisceri posse, concedemus eo pacto, eâque ratione, quâ & iisdem alia multa & corrigentia, & adjuvantia miscentur: suppositâ nimirum ligni, vel alterius consimilis alexipharmacâ vi morbi gallici specificè oppugnativâ tali, & tantâ, quali, & quantâ ab auctoribus passim decantatur.

Hæc sit ergò dictorum conclusio. Acuat, quisquis scientijs se tradit, ingenij sui aciem, rerumque cortice neglectâ ad intimam abdat se medullam; ex cujus profundioribus optimè perspectis visceribus omnis rerum similitudo, & dissimilitudo, unitas, & multiplicitas, consonantia, & dissonantia facilè elicitur: ut eam habuisse, verisimile est, primos il-

los rerum essentia cognitores, qui non casu, & ad libitum, sed cum ratione, & juxta ipsarum specificas proprietates rebus nominaposuerunt, & de earum essentijs differuerunt. Faxit Deus Opt. Max. ut tale scientificorum omnium animos invadat studium. O quot tunc animi, corporis, & rei familiaris accedent commoda. Coegit hæc meum scribere calamum præsentium temporum calamitas, & nequitia. Tibi autem dicare, vir excellentissime, veritatis cognitio, & usus, quos in te elucere quàm maximè comperio. An vera sint, quæ dixi, tuum erit judicare. Quid judicaturus sis, responsoria, quas à te de his expecto, indicabunt literæ. Sit, quod tibi placuerit, de his judicium. Sententiæ tuæ per me subscriptum ex nunc esse volo, & jubeo. Vale septies, & mei memor erga te observantissimi diu vive. Ex Lycæo nostro, XV. Calend. Octob. 1635.

*Rebus nomi-
na cum ra-
tione indi-
ca sunt.*

TRACTATUS XV.

Insigni Medicinæ Doctori,

D. CAROLO MAPELLO BERGOMATI,
& Corbettæ Physico meritissimo.

S. P. D.

De Mespilis mucidum à Vino odorem auferentibus, deque eorum sympathiâ.

ET si ex dissimilium sese invicem alterantium, & refrangentium discrepantiâ naturæ hujus, quam cernimus, firmitat in oriri. sciam, non minimum tamen adjumenti ad eandem magis stabilendam consurgere credo ex similibus se se mutuo conservantium, & corroborantium concordantiâ. Patent hæc tibi, scio, in physicis versatissimo clariùs, quàm probationes, & exempla adducere opus sit. Nihilominus ut genio parumper in hisce primis inchoantis anni diebus mecum indulgeas, & a severiore Medicinalis practicæ exercitio te cohibeas, inquirere, luhuit, & ad te scribere, quàmnam Mespili molles jam redditi, dum vino mucidum ex mucido contractum dolio odorem olenti induntur, potissimum ra-

*Mundus si-
milibus &
dissimilibus
servatur.*